DISSERTATIO
INAUGURALIS-MEDICA
SISTENS

MORBOS MAMMARUM
MULIEBRIUM,

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE
EXCELLENTISSIMI, AC ILLUSTRISSIMI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS
PERILLUSTRIS ET SPECTABILIS DOMINI
DECANI,
NEC NON
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE
LAUREA SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS RITE
CONSEQUENDIS
IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA
UNIVERSITATE VINDOBONENSI
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

Joannes Gloisner,
Galicianus.

In Theses adnexas disputabitur in aedibus Universitatis
die 7. Julii 1832.

VIENNAE,
TYPIS VIDUAE ANTONII STRAUSS.

Introductio.

§. 1.

Sexum delicatiorem humano generi propagando praecipue destinatum, huicque scopo corpus foemineum ita simul constructum videmus, ut in sinu suo futurum homunculum concipere, gestare, parere, jamjam natum e proprio penu queat nutrire. Verum hac de causa sexum eundem variis, quos masculus saepe penitus ignorat, obnoxium conspicimus morbis, inter quos certe nec minimi, nec rarissimi *mammarum* nominandi sunt. Quos, quantum pagellarum harum concedit scopus, praemissis aliquibus notionibus anatomico-physiologicis exponendi consilium cepi.

§. 2.

Sunt itaque *mammae* illae binae partes pectorali musculo majori incumbentes, in pectore praesertim foeminarum eminentes, haemisphaericae, convexae, solidiusculae, lactis secretioni dicatae, unde tandem suo tempore excerni et a recens nato in nutrimentum sumi possit.

§. 3.

Numero sunt *duae*, quamvis a scriptoribus nonnullis casus adnotentur, in quibus plures in uno eodemque individuo observatae fuerint. Sic *M. O. Mannaeus* (Act. Hafniens. Vol. III. obs. XCIX.) refert: »*Trimammiam foeminam, infantem hic apud nos lactantem vidi, quae tres habebat papillas, totidemque sororientes mamillas.*"

Similem casum refert *G. Blasius* (Comment. in Anat. Vesting.): „*Narravit mihi amicus fide dignissimus, foemi-*

nam trimammeam adhuc Harlemi degere, cui tertiam mammam natura in medio posuit."

Huic accedit memorabilis historia *Bartholini* (Misc. curios. ann. II. obs. LXXII.) referentis, se vidisse foeminam, cui tertia mamma in dorso eminebat conspicua. Visa quoque est foemina quatuor mammis instructa, singulis lacte distantis (Cabrol. obs. anat. obs. VII.). Similis casus ab *Hallero* et *Plucqueto* accepimus. Quos vero ad naturae raritates esse referendos, nemo non videt. Duae ergo, in quovis latere una, notantur mammae, id, quod a natura cuique admiranda non improvide institutum est; non tantum ob venustatem symmetriamque corporis, sed maxime ob summum et multiplex, quod in recens natum redundat, emolumentum. Nascuntur enim gemelli, quorum quivis suum habet, unde hauriat, fontem; matre lactis penurio laborante infanti paulo robustiori, quod altera non praestat, al tera saepe compensabit mamma; sic etiam altera morbose affecta et lactationem prohibente altera non obli viscitur sui officii. Insuper situ lactantis saepius mutato, praecavetur, ne justa corporis constitutio, aequalis musculorum dexteritas, oculi praeprimis aliquid capiant detrimenti.

§. 4.

Mammae in anteriori, media et elatiori thoracis parte paulo infra et ante brachia sitae versus os sterni procedentes, in quovis latere aequaliter dispositae sese respiciunt. Brachiorum situi utique accommodandae erant, ut infans brachiis gestandus uberibus commode admoveri possit. —

§. 5.

Magnitudinem quod adtinet, magna observatur differentia: in recens nato sive masculo, sive foemella ab humoribus aequaliter turgent, serius in maribus sponte complanantur, ut vix emineant, etiamsi et hocce re-

spectu, exceptiones suum inveniant locum. Nam videmus viros non raro mammis instructos turgidis, imo lacteum hinc inde fundentibus humorem, atque exempla nobis offerunt historiae medicae, quae, deficiente matre patrem lactasse infantem, testantur. Vide *Dissert. Cel. Andr. Westphal:* „De matre infantem suum non lactante, huic et sibi noxas insignes inferente.“ pag. 45. Sic *Humboldt* quoque refert (Hamburg. Zeit. 1800 St. 89) se vidisse in Americae urbe *Canada* virum, qui quinque per menses prolem lactasset, dum uxor hoc non valuisset. Frequentius evenit, ut virgines et non puerperae alienum infantem uberibus suis adplicando, humoribus per levem suctionem versus mammas invitatis non exilem secernere incipiant lactis quantitatem.

Increscunt mammae in puellis maturescentibus in gravidis secundo mense majores, in puerperis et lactantibus maximae inveniuntur, quae in vetulis volumine imminuto elasticitatem deperdunt, flaccidaeque dependent.

§. 6.

Constant mammae ex pluribus glandulis conglomeratis, pinguedine, arteriis, venis, nervis, vasis lymphaticis, glandulis conglobatis, atque ductibus galactophoris seu lactiferis, qui omnes solitarii concurrunt, et collecti in papilla arctioribus ostiolis numero sat constanti quindenario aperiuntur. Extra mammas tegit cutis, quae multo tenerior, quam alibi invenitur, in cujus media parte circularis conspicitur orbiculus, *areola* dictus, quae in virginibus grate rubella, alias saepe subfusca cernitur, ex cujus centro emergit *papilla*, quae est eminentia cilindracea, rubicula, admodum sensilis et irritabilis, cellulari fabrica donata, foraminibus ductuum galactophororum pertusa. In hacce papilla et areola latent glandulae simplices, parvae, sebaceae, quo unguinosum orificiis suis excernunt humorem, quae areola et papilla ab excoriatione defendantur. Facile

enim excoriantur tum a suctione infantis robustioris, tum ab humectatione defluentis inter sugendum lactis, ipsorumque labiorum infantis continuo humidorum.

§. 7.

Separata cute copiosa apparet tela cellulosa, laxa, cui adeps inspersa est seu pinguedo mollis, cujus maxima copia anterius, multo minor inter superficiem posteriorem et musculum pectoralem majorem intersternitur, quae adeps principem molis et figurae rotundae continet causam, glandulosam porro mammarum custodit substantiam, quae levissimo interdum ictu et compressione vitiari constat. In ipsa hac pinguedine continentur glandulae conglomeratae, quae ex lobulis, et hi ex acinis minoribus involucro universali circumdatis, per cellulosam inter se connexis componuntur; singulus lobulus ductu proprio excretorio praeditus est, qui inter se venarum ad instar confluunt atque in ductum aliquem universalem abeunt, qui omnes, quin inter se communicent, aperiuntur in papilla. Arteriae, quae per totam substantiam decurrunt, sunt mammariae internae ex subclavea in thorace ortae, et externae ab axillari originem ducentes. Venae, quarum itidem duplices distinguuntur, eodem, quo arteriae, denotantur, nomine; quae facilioris sanguini refluxus praebendi gratia cuti propiores, sub areola pulcherrimum formant rete mucosum. Internae lateris dextri in truncum venae cavae, lateris sinistri in venam subclaveam; externae in venam axillarem sanguinem a secretione et nutritione residuum reducunt. Nervi copiosi et notabiles continuationes sunt costalium a dorsalibus ortorum, quorum quivis ramum quoque ab intercostali magno sibi adsciscit. Hi sex nervi costis singulis inferius contigui decurrentes in decursu inter quodlibet costarum intervallum, ad mammas unum emittunt ramum; alii quatuor eorundem rami in finibus costarum emergentes mammas

quoque accedunt. Decem igitur sunt nervi notatu digni, qui toti substantiae mammae et glandulosae parti, nec non cuti prospiciunt, unde sensilitas hic loci in morbis mirum in modum evecta facile explicanda.

§. 8.

Praeterea vasa lymphatica magnum utique praestant usum. Quae tum ex intima glandularum cellulosa, tum ea ipsis ductibus lactiferis originem ducentia in facie mammarum posteriori concava inaequali in plures confluunt truncos, et glandulas tranant conglobatas, unde ad lymphaticos feruntur plexus axillares, quibus sibi adjunctis denuo perforant conglobatas, quo facto in duos truncos collecta majores in venam subclaveam, aut nonnumquam semet exonerant in jugularem. Quare, cur tam cito in sanguinem resorbeatur lac, cur glandulis subaxillaribus tumescentibus mammae quoque in consensum trahantur, explicatu haud difficile erit.

Caeterum quod mammarum formam concernit, laudantur tensae, elasticae et moderatae molis; magnitudinis vero justo majoris parum lactis secernunt ob adipis copiam, quae glandulosam in functione sua turbare solet mammae fabricam. In papillis laudatur color ruber, firmitas et sufficiens super discum eminentia. Si justo majores fuerint, linguae motum impedient, — si minores, non poterit retinere eas infans.

De Morbis mammarum muliebrium.

§. 9.

Ubera quidem graviditatis et puerperii periodo praeprimis morbis patent; verum potentiae nocentes validius in illa extra tempus memoratum agentes, adfectiones morbosae organorum interius cum mammis commercium vitale sustinentium, et totius organismi graviores passiones, mutationes morbosas in mammis quoque producere valebunt. Cum ultimis rationibus exorti morbi natura sua et decursu differant ab illis, qui sub graviditatis et puerperii periodo exorti sunt, in illis pertractandis duas statui sectiones, in quarum prima *morbos* pertractabo *cum graviditate et puerperio non cohaerentes;* in secunda A) *morbos mammarum in gravida,* B) *in puerpera.*

Sectio I.

Morbi mammarum cum graviditate et puerperio non cohaerentes.

I. Inflammationes.

§. 10.

Mammae sicuti organa glandulosa quaecunque magna vitalitate donatae, in multiplici commercio cum aliis organis existentes, ab injuriis externis minus, quam aliae partes internae tutae, nocivis influxibus variis liberae expositae, omni aetatis periodo inflammari possunt, dummodo communes influant ab extus et intus stimuli, quos generatim inflammationi producendae pares esse novimus.

1. *Inflammatio mammae phlegmonosa s. mastitis phlegmonosa.*

§. 11.

Haec inflammatio majorem aut minorem mammarum ambitum occupans ex dolore acuto, rubore laeto, tumore tenso, calore aucto, duritie et febri concomitante inflammatoria, hinc inde valida, nec non ex causis occasionalibus sat facile dignoscitur.

Rationem hujus inflammationis partim organi eminenter adfecti, aut totius etiam individui irritabilitas et sensilitas altior; partim vehemens et impetuosa causa occasionalis gerit; uti sunt temperamentum sanguineum, cholericum, habitus plethoricus, aetas florens, et causae vehementes mechanicae et chemicae, ictus, contusio, lapsus in mammas, instrumenta acuta, thoraces duri, morsus, acida concentrata effusa, combustiones, contrectationes rudiores etc.

Gradus mitior, bona individui constitutio benignam resolutionem pollicentur; quam et gradus altior adhuc admittit, si per rationalem therapiam intra breve tempus fracta fuerit nimia intentio. Neglecta vero facile abit in suppurationem, aliaque posthuma mala alioquin nota.

Abactis causis nocentibus et quiete mammis per suspensoria idonea conciliata, morbi gradui congrua instituatur therapia antiphlogistica. Si phlogosis levior et mere topica est, sufficiunt fomenta et cataplasmata frigida, statim ab initio sedulo adplicanda, ex aqua frigida, aqua cum aceto, vel splenia nivibus aut glacie imbuta.

Gradus autem phlogoseos altior strenuum jubet tractamen et regimen antiphlogisticum tam universale, quam topicum. Hinc venaesectiones, hirudines, interne simul relaxantia, refrigerantia, alvum leniter moventia, thermogenesin excedentem, et circulum mode-

rantia, pacantia: mucilaginosa, nitrata, sales medii, acidula vegetabilia, calomel aliaque refrigerantia, eccoprotica, leviter laxantia; topice simul fomenta calida, sicca.

Si vero inflammationis gradus tantus fuerit, ut spes resolutionis benignae jam evanuerit, abscessusque jamjam formari inceperit, cataplasmata humida et emollientia in usum trahenda veniunt. In omni autem casu regimen diaeteticum congruum minime negligendum est.

Evitentur omnia, quae vel organismum, vel mammas stimulo lacesserent; victus sit tenuis, vegetabilis, potus refrigerans, aër purus, humidus, frigidiusculus, animus pacatus etc.

Formatus abscessus, ni sponte rumpatur, arte aperiendus est, ne pus diutius inclusum in novam vertatur potentiam nocivam, atque in ulcus mox abeat. Quodsi tamen citra exspectationem exortum fuerit, summa munditie, unguento digestivo, infuso Rutae sine vel cum tinctura Myrrhae et similibus, linteo carpto excipiendis ulcerique adplicandis, et sedulo renovandis tractatur; vires organismi fulciendi aura camphorata, infuso acori, decocto chinae.

Subsequens induratio emollientia et resolventia exigit, rejectis emplastris multum stimulantibus, quibus hi nodi sub incauta adplicatione in scirrhum facile degenerant atque cancrum.

2. *Erysipelas mammarum.*

§. 12.

Inflammatio mammarum cutanea, ad majorem vel minorem plagam restricta, cum dolore pruriente, ardente et tensivo, aequabiliter diffuso, rubore minus intenso, sed diluto, roseo, aut pallide flavescente, pressione illata pallescente, qua remota pristinum colorem recuperante, superiorem et exteriorem utplurimum mammae superficiem, aut circa papillam limbi in mo-

dum areolae externas regiones occupans, *Erysipelas* mammarum sistit. — Levissimus autem tantum rubor superficialis mammarum, cute tenera praeprimis opitulante *Erythrema* seu *Erythema* nominari solet.

Causae hanc inflammationem producentes utplurimum consistunt in stimulis positivis, in temperiei praecipue vicissitudinibus, stimulis chimicis, insectorum morsibus, frictionibus, inunctione oleorum rancidorum, in abusu cosmeticorum pectori quoque adplicatorum, thoraculis angustis et aliis similibus.

Ut plurimum levis haec inflammatio cutis desquamatione absque malis posthumis brevi resolvitur.

In hujusce affectionis tractamine causae producentes ante omnia amoveantur. Parti affectae sicca adponantur fomenta calida: strophia lintea, sacculi leves farina secalis, fabarum, furfuribus tritici vel floribus sambuci impraegnati. Febri concomitante interna tantum requiruntur remedia, quae pro diverso febris charactere — catarrhoso, rheumatico, gastrico — ex emollientibus, diapnoicis, solventibus, eccoproticis etc. desumantur, oportet.

3. *Mammarum evolutio dolorifica.*

§. 13.

Ex statu saltem irritabili prodit:

Intumescunt mammae majori sanguinis quantitate inundatae menstruationis periodo, et rapidior, quae sub hacce periodo contingit, metamorphosis ulteriorem perfectionem et revolutionem pedisequam habet. Sub statu vero abnormi haec mammarum evolutio cum sensu molesto procedit, qui aut menstruationis periodo tantum recurrit, aut extra illam quoque perstat. Accedunt enim sensus titillationis, formicationis in mammis, vel dolores magis acuti, fugaces, punctorii cum immodica uberum sensilitate nec minimam pressionem concedente conjuncti.

Sensilitas totius organismi major, quae cum teneriore corporis constitutione socia incedere solet, aut quam vita in aëre incluso sedentaria, nimius corporis fotus, potulentorum calidorum et simul stimulantium abusus inducere valent, hujus dolorificae mammarum evolutionis gerit causam. Idem quoque praestat idiopathica uberum irritatio, per contrectationem frequentiorem, cosmeticorum pectori adplicitorum abusum, thoracula angusta, odoramenta, suffimenta inducta.

Nimia haec sensilitas periculosa quidem dicenda non est, ast praeter quod molesta sit, lactiferorum quoque ductulorum incrassationem, nodulorum in mammis productionem et similia habere potest pedisequa.

In tractamine praeprimis causae respiciendae sunt, quibus abactis et congruo simul regimine diaetetico in auxilium vocato malum, de quo hucusque sermo fuit, exterminatur.

II. Exanthematicae affectiones.

§. 14.

Pauca quidem et rara sunt, quae uberibus solis insideant, et mere localia dici possint, exanthemata; paucis attamen commemoraturus sum, quae mammas hinc inde soleant infestare.

Adferuntur sequentia:

1) *Scabies* ad mammas limitata;

2) *Herpes* ad areolam, vel majorem ejus ambitum circa papillam restrictus;

3) *Pustulae venereae;*

4) *Pustulae variolosae,* quibus non raro corripitur mater, quae de prolis salute nimis sollicita eam variolis obsessam sinu fere denudato gestat, vel illi mammas tradit sugendas;

5) *Pustulae aphthosae,* si simili ex causa eaedem mammis, vel papillis areolaeque communicantur a lingua et labiis aphthosis infantum;

6) *Urticaria;* non adeo rarum observatur hoc transitorium mammarum exanthema, quod ex unguentis odoratis, lavacris cosmeticis nonnumquam inducitur;

7) *Ephelides mammarum;* sol ipse et liber aëris adpulsus punctula haec subflava, fusca, densius vel rarius guttatim inspersa, figuram lenticularem coloremque aemulantia, nec aliud, quam laesae venustatis incommodum producentia gignit;

8) *Chloasmata;* maculae ex flavo viridescentes aut pallidae, subinde fuscae, aliis etiam partibus, saepius mammis insidentes, nec alia praeter cutis foeditatem offerunt incommoda. A causis generantibus triplicia dici merentur, scilicet:

a) *Chloasmata hepatica,* maculae hepaticae etiam dictae,

b) *Chloasmata gravidarum* in ultimis graviditatis mensibus occurrentia,

c) *Chloasmata amenorrhoica* ex suppresso plerumque fluxu menstruo;

9) *Naevus maternus;* macula parum super cutem elevata, indolens, variae extensionis, saepe pilosa, fusca, vel rubescens. Exstirpatio eorundem non commendanda.

III. Morbi cum voluminis mutatione incedentes.

A. Absque organisationis labe.

1. *Luxuriatio et obesitas mammarum.*

§. 15.

Omnem corporis venustatem demens ipsam impedit lactationem, cum vasa galactophora obruuntur pinguedine. Incommoda praeterea sat multa inde prosiliunt, impeditur liber brachiorum motus, respiratio ob pondus thoraci incumbens difficilis redditur, gravaturque incessus. — Abnormis haec pinguedinis procreatio ex assimilatione procedit imperfecta, sub qua nutrimenti

in materiam organicam altioris dignitatis organicae elaboratio retinetur. Quam ex altera parte animus dejectus, tristis, vita sedentaria, aër impurus, humidus, nimis calidus, nutrimenta parca, muco, gelatina, albumine crudo et pinguedine abundantia; ex altera potentiae processum reproductivum mediate deprimentes, sicuti humorum nobilium, praeprimis sanguinis per haemorrhagias aut venaesectiones jactura purgantium abusus inducunt.

In hujus mali tractamine medici omnis opera in digestionis et assimilationis organa praeprimis directa sit, oportet, quorum functio non restringenda, sed potius intendenda atque promovenda erit. Quare nutrimenta exquisita simulque modice stimulantia, vita in aëre imprimis libero activa, medicamina amaro-aromatica, balnea ejusdem indolis universalia, fomenta vaporibus sacchari aut succini imbuta uberibusque adplicata in usum vocanda sunt. Periculosa autem et certe dubia esset, quae a nonnullis commendatur scriptoribus, Jodi adplicatio, cujus usus, praeprimis protractus uberum volumen imminueret, aliasque noxas sat graves non inferre non posset.

2. *Evolutio mammarum retardata.*

§. 16.

Ex norma pubertatis tempore et ingruente menstruorum periodo mammarum procedit evolutio; haud raro vero adeo impedita apparet, ut in virgine, quamvis matura, horum tantum organorum offerantur vestigia.

Quod vitium ex constitutione tenera, vel ex imperfecta formatione, vel plenaria corporis glandulosi destructione procedens, omne tentamen medicum reddit frustraneum. Alias potentiarum evolutionem impedientium amotio, nutrimentorum sufficientium submi-

nistratio, motus in aëre libero, puro institutus promovere possunt harum evolutionem.

3. *Tabes mammarum s. atrophia.*

§. 17.

Designat diminutionem consumtionemque mammarum aequabilem, ita ut retrahantur ad musculos pectorales et fere evanidae adpareant.

In vetulis communis est haec corrugatio, *Marasmus mammarum* dicenda; in aliis de oeconomia vitae vegetativae admodum turbata testatur.

Methodo erigente, restaurante opus est; unde nutrientia blanda, leniter amara, tonica, roborantia, chinacea, vinosa, martialia, cum topicis lotionibus mammarum vinosis, et similibus fomentationibus illis exhibeto.

Si vero morbi uteri, imprimis ejusdem degenerationes, aut exstirpationes hancce induxerint tabem, vix amplius ullis remediis cedet, de quo loquimur, malum.

4. *Phthisis mammarum.*

§. 18.

Hic locorum phthisis non ex profusa lactis secretione, verum ex suppuratione corporis glandulosi, praegressa inflammatione vehementi, exorta intelligitur, quae consumtionem unius utriusque mammae prolicit. Qui status morbosus non raro ad solas restringitur mammas, alias vero accedente insuper febri lenta integrum consumi organismum, saepe saepius edocuit experientia. Rite tractata et abscessibus profundioribus maturis caute apertis, summa observata munditie, amotis singulis influxibus nocivis, adhibitisque tam localibus, quam internis remediis congruis, favente simul aegrae constitutione, sanationis quidem spem promittit; ast principalia vasa secernentia, ductulique pluri-

mi destructa et obliterata, occlusa aut concreta, aut alio modo alienata, cicatricesque graves ac profundae in eorum loco remanentes, exulcerationum ejusmodi sequelae esse solent. Tales mammas lactationi ineptas reddi, neminem latet.

Ne autem haecce suppuratio limites excedat, in debito ejus tractamine omne medici versetur conamen. Foveatur pyogenesis protracta emollientium usu, abscessus servetur apertus, seduloque sustineatur puris defluvium; pus spissius blandis adtenuetur injectionibus, donec puris parcitas, doloris omnis absentia, durorum nodorum emollitio, et superstes levis pruritus ingruentem annuntiet consolidationem, epithematibus siccis per tempus adhuc fovendam.

B. Morbi cum organisationis labe conjuncti.

1. *Scrophulae mammarum.*

§. 19.

Scrophulae suam in mammis, prae caeteris in puellis pubescentibus produnt praesentiam per pastosum uberum tumorem, perque nodulos duriusculos in imis mammis jacentes, menstruationis aut graviditatis tempore sensiles, accedente vehementi animi motu, errore diaetetico commisso, aëris temperie subito mutata, nec non alia diathesi simul morbosa — syphilitica, arthritica, rheumatica — praesente magis intumentes, qui, nisi rite tractentur, increscunt, indurantur, atque praesente discrasia maligna in scirrhum abeunt. Ut plurimum tamen emendato habitu scrophuloso, et mammis ulterius evolutis instante graviditate lactationisque tempore sponte resolvuntur et evanescunt.

Quodsi fuerint pertinaciores, therapia scrophulis idonea in usum trahatur: resolvens, se-et excretiones omnes liberas reddens, humoresque corrigens; to-

pice fomenta sicca, sacculi aromatici, emplastra resolventia, de Cicuta, Mercurio etc. adhibenda.

Quodsi vero modo et tunc magis dolentes evaderent, et minaretur inde scirrhus; exstirpatio aegram salvabit.

Spectant huc ulcera quoque mammarum scrophulosa, vel ex diathesi universali sponte exorta, vel accedente mammarum laesione ejusdem diathesis saepe participia, vel ex tumoribus scrophulosis, inflammatione forte et suppuratione illata violentia quadam provocata, originem ducentia, cum marginibus dolentibus, duriusculis, tumidis, pallidis, cum fundo sordido, quidquam lardaceo, ab initio viscidam lympham glutinosam, dein tenuem acrem fundentia, serpentia, sinuoso saepe tramite perforantia.

Communem requirunt scrophularum therapiam, qua neglecta nec unquam cum securitate obtinebitur ulcerum sanatio.

2. *Tumores lymphatici.*

§. 20.

Tumores hujusce indolis liquidum continent lymphaticum et ut plurimum ex vasis lymphatici laesione suam repetunt originem.

Ex specificis processibus morbosis non exorti incisione, evacuatione brevi sanantur; a vulnere, quantum fieri potest, arcendus aëris accessus, cum alias originem repeterent ulcera indolis pejoris.

3. *Tumores cystici.*

§. 21.

Tumores exhibent in proprio involucro varias abscondentes materias, in laxo prae caeteris et copioso mammarum textu celluloso occurrentes.

Pro varia materiae inclusae consistentia atque indole denominatione insigniti diversa:

Melliceris, qui materiam continet mellis spissitudinem referentem;

Atheromatis, qui pultis specie impletur;

Steatomatis, qui massa lardo aemula infarcitur;

Osteosteatomatis, qui nucleum gerit quasi cartilagineum.

Hinc inde substantiis prorsus singularibus, uti pilis, hydatidibus, imo nucleis vere osseis replentur *).

Tumores hi, mobiles, nec sub pressione fortiori dolentes, mollioris consistentiae, cute tecti normali, raro inflammantur, rariusque in suppurationem abeunt, nunc rapidius, nunc tardius incrementa capiunt, quod de steatomatibus praeprimis valet; ingentem assequuntur molem.

Differunt a scirrho sensilitatis et duritiei insignis absentia; — a tumoribus scrophulosis status scrophulosi universalis, — a lymphaticis fluctuationis defectu facile distinguuntur.

Excitantur plerumque causis chronicas inflammationes producentibus, favente praeprimis habitu phlegmatico, scrophuloso, aut praesentibus discrasiis, uti arthritica, syphilitica etc.

Minoris voluminis tumores cystici nullas inferunt noxias, majoris vero lactis secretionem cohibent, liberum impediunt brachiorum motum, corporisque glandulosi ex pressione notum producunt marasmum, nonnunquam inflammationem suscitant ex eadem causa natam, quae exorta benigna suppuratione utique sanationem afferre, verum non minus primum exulcerationis malignae fomitem producere valet.

Si, de quibus loquimur, tumores discrasiae cuidam originem debent, remediis hinc inde cedunt internis. Minus a resolventibus et resorptionem incitantibus expectandum. Quae a nonnullis commendantur reme-

---

*) Vide Otto Handbuch der pathologischen Anatomie. S. 24.

dia excitantia externa, uti emplastra ex Cicuta, Mercurio, Gummi ammoniaco et similibus confecta, fomenta ex solutione salis ammoniaci, vel ammonia pura diluta parata, medelam tantum inducent, quatenus inflammationem in suppurationem provocare possunt. Methodus semper optima tumorum est exstirpatio.

4. *Aneurisma in mammis.*

§. 22.

Rarius hocce vitium organicum in uberibus occurrit et ut plurimum in parte invenitur laterali, ubi simul *aneurisma axillare* sanguine vicinis arteriis extendendis appulso poterit suam symbolam conferre.

5. *Varicositas mammarum s. Cirsomastalgia.*

§. 23.

Frequentius in gravidis, parturientibus et mammis ex uteri degeneratione affectis, scirrhosis, carcinomatosis observatur. Sunt scilicet verae varices venarum mammarum varia directione decurrentium dilatationes inaequales, indolores, molles a sanguinis impedito circulo formatae.

Circulo liberiori restituto earum obtinebitur sanatio.

6. *Scirrhus et cancer mammae.*

§. 24.

Sistit tumorem durum, scabrum, doloris expertem, in glandulosis praecipue partibus consistentem, cuti concolorem, circumscriptum, inaequalem, pruritum et lancinationis fugacis sensum interdum inducentem, in carcinoma pronum. Occurrit quoque scirrhus absque tumore, imo glandulam affectam quoad volumen hinc inde minutam offerens.

Ab aliis mammarum tumoribus distinguitur duri-

ritie, asperitudine angulosa, expansione venarum vicinarum varicosa, atque sensu pruriginoso et punctorio.

Originem ex inflammatione lymphatico-venosa, in quam mammae ex natura glandulosa praeprimis dispositae sunt, repetere videtur; dolores punctorii fugaces illam saltem indicare videntur. Quidquid igitur similem inflammationem producere valet, scirrho progenerando favet, hinc contusio, impactio mammarum, contrectatio rudior, ulcus intempestive clausum, apostemata mammarum, antequam omnia bene suppurata fuerint, aperta et cito consolidata, jam toties indurationis scirrhosae causae observatae fuere: victus durus, glutinosus, crudus, farinosa non fermentata, legumina, fructus immaturi etc. et haec absque moderato corporis exercitio inter plurimas noxas etiam scirrhum inducere valent; vita porro tristis, sterilitas, lactatio neglecta, constitutio nervosa, hysterica, prava humorum indoles, hinc cachexiae diversae; scrophulae, arthritis, syphilis, fluxus menstrualis aut haemorrhoidalis turbae ad malum disponunt nominatum. Plurimi scirrhi et tandem cancri ortum ducunt eo tempore, quo foeminae effoetae fieri incipiunt, et menstrua progredi jam nequeunt.

Scirrhus jam semel natus et praesens, etsi per se consideratus in mammis innocue feratur, sat facile abit in cancrum, levissimo accedente momento huicce mutationi provocandae pari. Non enim in nostra est potestate omnes praecavere animi affectus, leves quoad quantum et quale errores diaeteticos, externas laesiones, contusiones, impactiones etc. Et etiamsi cuncta haec evitari possent, quaenam foeminarum a morbis epidemicis, et contagiosis semet immunem praedicabit, quaenam, semel mensium demum silentio obnoxiam negare audebit?

Adeoque, quo maturius, eo felicius curae subji-

ciendus est morbus, quo formidabilem evitent miserandae.

In tractamine scirrhi, causae omnes, quae scirrhum in processum rapiant phlogisticum, cautissime amovendae veniunt. Ad cujus solutionem laudantur *Emplastr. de Cicuta, fel tauri cum sale ammoniaco, succi recentes foliorum calendulae officinalis, sedi acris, belladonnae, unguent. neapolitanum etc.* Interne pariter sub cauta administratione *Extractum Cicutae, Belladonnae, mercurialia, antimonialia, aqua laurocerasi* adhibenda, quibus nonnumquam levamen, rarissime pro dolor sanatio inducitur. Multi exstirpationem ejus maturam jubent; alii non prius cultrum admovent, dum cancer immineat.

§. 25.

Cancer mammae ex eodem scirrho modo recensito exsurgit, si dolor accesserit. Tumorem refert durum, scabrum, cum dolore conjunctum, cujus crudelitas paulatim augetur, et aciem sui generis, insuperabilis et deleteriae indolis in se continens summa saevitie dirissimoque cruciatu furit in aegras.

Cancer mammarum occultus cute integra, suis adhuc continetur involucris, indeque ita denominatus. Signa sunt: pruritus, lancinatio, ardoris sensus, tumoris incrementum, asperitas scabra, angulosa, calor, dolor, glandulae axillares sympathicae affectae tument; raro ipsius tumoris cancrosi fluctuatio adest, nec tumore cum levamine saepe rupto pus hocce genuinum excernitur.

Cancer mammarum apertus s. carcinoma ulcerosum deteriore tantum modificatione et foedissimo ulcere ab altero diversum, quod incipiente nativi tegumentorum caloris successiva in rubellum, caeruleum, lividum atrumque degeneratione, vasorum vicinorum varicosa inflatione, cutis excoriatione, effluxuque saniei sanguinolentae exulceratione aspectu horrenda, foetore

specifico intolerabili, labiorum ulceris inversione, carnis duritie et fungosa inaequalitate, excrescentiis saepe mirum in modum elatis, ichore acri urente, dolore interdum immani sui indicat praesentiam. Manifesta nunc per totum organismum dominante cachexia specifica, accedit febris lenta depascens, virium consumtio, lypothimia et mors.

Multa in cancro sanando laudata, tentata, multa temerarie adhibita, uti arsenicum interne et externe, aliaque sub scirrho jam memorata; vix unquam tamen prospero eventu coronatum est medici conamen, imo neglecto tempore magis opportuno in aegrae perniciem eorum adplicatione perdebatur tempus.

Omnem itaque aegrae salutem in tempestiva et rite peracta exstirpatione positam esse dicimus, quae,' quo citius instituitur, eo certius succedit. Quare omnis exspectatio damnosa, et exitialis erit; nam si miasma cancrosum in caeterum organismum resorptum fuerit, pessumdederitque habitum aegrae atque vires, nec culter salvabit miseram. Sub quo rerum statu non alia, nisi cura palliativa institui potest. In auxilium vocanda: narcotica, secretiones liberantia, scilicet leniter solventia, eccoprotica, vel etiam roborantia, chinacea, martialia cum diaeta simul congrua conjuncta.

S e c t i o II.

Morbi mammarum cum graviditate et puerperio cohaerentes.

A. Morbi mammarum in gravida.

1. *Lactis accumulatio et intumescentia mammarum morbosa.*

§. 26.

Mammae ob intimum, quod inter illas et uterum viget, commercium primis jam graviditatis hebdomadibus singularem experiuntur mutationem; intumescunt

enim convexiora et elasticiora ubera accedunt dolores prementes, pungentes, horripilationes, et respirationis nonnumquam difficultates; stillat sub minori jam pressione liquidum seroso-aquosum ex ostiolis ductulorum excretoriorum magis evolutis. Quae symptomata singula, in mammis ad altiorem gradum evectam esse vitam, confirmant, qua ad gravem, cui praefixae sunt, praeparantur functionem. Influxibus vero nocivis agentibus omnia haec symptomata magis in- atque extenduntur. Ingentem enim in molem nonnumquam expanduntur mammae duriores multoque sensiliores, profluvium liquidi lactei redditur profusum, accedunt motus febriles, gravidaeque emaciatio, vel congestiones activae, a quibus haec mammarum dependet affectio, in statum abeunt vere inflammatorium.

Utplurimum foeminae irritabiliores, plethoricae, constitutionis pastosae hisce affliguntur molestiis, praeprimis si accedit diaeta lauta, aromatum spirituosorumque abusus, vita sedentaria, voluptuosa mammarum contrectatio; simile quoque inducunt lotiones uberum aquis aromaticis institutae, refrigerium corpori sudore madido admissum.

Mitior hujus affectionis gradus noxias quidem non infert notabiliores, verum altior perque majorem graviditatis periodum protractus, tum foetui, tum matri evadere potest nocivus. Humoribus enim ad mammas invitatis vita uteri non in eo, qui ad debitam foetus formationem et legitimam graviditatem absolvendam requiritur, sustinetur gradu. Verum patitur et mater, imprimis si profluvium redditur justo largius, quo corporis emaciatio viriumque consumtio eo usque pervenit, ut mater infantulo ex utero vix excluso primum denegare cogatur nutrimentum; spectant huc porro omnes noxae, quae ex inflammationis in suppurationem, exulcerationem et indurationem transgressu timenda veniunt.

Sub tractamine ante omnia causae respiciendae et amovendae, transpiratio cutanea, et se-excretionesque organorum abdominalium promovendae sunt; sedulo simul omnia evitentur, quae idiopathicam uberum inducere valeant irritationem. — Gradus altior therapiam antiphlogisticam generosiorem, scarificationes praeprimis in brachio mammae adfectae correspondenti, purgantia cum arcano duplicato desiderat.

2. *Efflorescentiae cutaneae.*

§. 27.

Uberior humorum, sanguinis praecipue in gravidae uberibus quantitas, praesente discrasia scabiosa, syphilitica, vel neglecta cutis munditie causam efflorescentiarum in gravidis recludit, quae aut sub forma pustularum in suppurationem abeuntium, vel sub forma veri herpetis areolas, minorem majoremve cutis mammarum plagam obsidentes molestam tensionem, pruritum, doloresque subinde satis acutos causant.

Quae ex neglecta munditie procedunt, facilius sanantur, dum, quae discrasiis supra dictis suam debent originem, therapiae diutius resistunt, infantuloque recens genito infectionem minantur. — Facile intelligitur, morbi characteri, scrophuloso, scabioso, syphilitico adcommodandam esse curam.

Quae causis localibus suum debent ortum, efflorescentiae, summam expostulant munditiem, lotiones diligenter institutas cum aqua saponata, decoctis herb. Jaceae, Stipit. dulcam. etc., quibus si non cederent, solventia, eccoprotica, quin imo antimonialia mercurialiaque in auxilium vocanda essent.

3. *Nimia papillarum teneritudo et sensilitas.*

§. 28.

In individuis tenerioribus atque sensilioribus occurrit, praeprimis si nimius mammarum fotus, voluptuosa

et frequens papillarum contrectatio, frictio indusiis inducta accesserint.

Excoriatio papillarum jam graviditatis, puerperii imprimis tempore producitur, indeque nata exulceratione, admodum dolorifica simul redditur lactatio.

Optimum et hoc in casu causarum abactio remedium est, cum lotionibus ex vino rubro, cremato, Eau de lavande conjuncta. Ubi vero nimia sensilitas horum adplicationi obsistit, aqua calcis, Goulardi, redemiaque supra memorata aqua diluta exposcuntur.

4. *Erectio papillarum deficiens.*

§. 29.

Ut infans commode sugere valeat, papillam sese erigere, necesse est. Sensilitas deficiens aut papillae rigiditas hocce in casu inculpanda venit, in foeminis prima vice gravidis et provectioris aetatis occurrente.

In debitam papillarum erectionem graviditatis jam tempore respiciendum est; quare sensilitate debita deficiente frictio digitis saliva humectatis saepius instituta, vitra, et antlia suctoria — praesente rigiditate lotiones cum aqua saponata, olei amygdalini illinitio, cataplasmata emollientia quadrant.

5. *Excoriatio sinuum intermammillarium subaxillariumque.*

§. 30.

Contingit saepe, ut vallicula inter mammas torosas, vel sinus sub mammis pendulis formati plagas excoriatas offerant. Saepe discrasia aliqua humorum universalis, vel sudor acer, vel frequentes scalptus, ad quos gravidae primis praecipue hebdomadibus ob pruritum mammarum continuo invitantur, vel etiam thoracula mammas infestantia hujus mali in se continent rationem.

Causis amotis aqua Calcis, aqua Goulardi consolidat plagam excoriatam.

6. *Vitiosa papillarum formatio.*

§ 31.

Quae in papillis occurrunt, formationis vitia, ad magnitudinem abnormem, situm erroneum et nexum vitiosum referri possunt.

a) Magnitudinis errores:

α) excessu: *nimis crassae,* ut infantis ore recipi nequeant, vel *nimis longae,* ut incommoda pariant sugenti, vel et alia, quorum tamen rariora prostant exempla;

β) defectu: *nimis parvae,* ut identidem procidant ex ore infantis; vel *complanatae,* ut ex areola nec quidquam promineant. In utroque casu aliquid praestare valent *pileola Wendelstaedtiana;*

γ) *plenarius defectus* ad rarissima exempla referendus.

b) Situs abnormis.

α) *Papillae excentricae* extra centrum consuetum sitae, cum quodam lactationis incommodo;

β) *Papillae recurvatae:* sunt earum recurvationes ad alterutrum latus vel ex prima formatione, vel inflammatione praegressa ortae. Sat pariunt lactationis incommoda;

γ) *Papillae inversae* cum fovea areolae; — frequens hoc vitium plurimorum morborum puerperalium fons vel ex prima formatione, vel ex inepto loricarum muliebrium abusu originem suam petens. Saepe ad finem partus, tensis lacte uberibus, sponte elevantur, vel adhibitis emollientibus, cremore lactis, oleis blandis, vitris suctoriis, aut ex subere constructis pileolis, multo facilius antliis suctoriis extrahuntur.

c) Nexus vitiosus.

α) Atresia papillarum concretionem seu obliterationem, aut primariam imperforationem denotat ostiolorum lactiferorum et hinc lacti imperviorum. Sat molestum vitium in puerperis, nec sanatu facile;

β) Atresia papillarum spuria, quodsi muco indurato, vel sanguine exsiccato, aut superficiali aliqua crusta in foeminis munditiei minus studiosis ostiola obturantur. — Emollientibus, oleis blandis, abstergentibus aperimus;

γ) Atonia papillarum s. laxitas ostiolorum, unde in lactantibus continuum lactis stillicidium observatur; de quo vitio adhuc serius agemus.

B. Morbi mammarum in puerpera.

§ 32.

Quae in puerpera occurrunt, mammarum adfectiones, cum intime cohaereant cum lactis secretione, aliqua de hacce functione et lactis proprietatibus praemittenda esse censeo.

Graviditatis usque tempus vita privata mammarum per solam internam reproductionem et incrementum in foeminis se manifestat. A conceptionis momento peculiaris in iis suscitatur orgasmus, quo primis graviditatis mensibus liquidum serosum, sub finem vero verum lac secernere incipiunt. Requiritur vero pro lactis secretione adfluxus sanguinis per cibum et potum continuo restaurati, quare lactis quantitas a quantitate et qualitate nutrimenti dependet. Potest lactis secretio per longum tempus continuari atque sustineri, dummodo suctio assidue continuetur, et nova non interveniat graviditas; si vero puerpera prolem mammis admovere intermittat, aut nutrix lactantem desuefecerit, post nonnulla aliquot dierum incommoda ubera sensim sensimque subsident, resorbetur lac secretum, tandem

penitus silet. Contingit praeterea subinde, ut admissis potentiis nocentibus lactis secretio supprimatur, et in membranis serosis aut mucosis, vel in textus cellulosi interstitiis *vicaria*, suscitetur, qua humor paratur externis duntaxat qualitatibus lacti similis: *metastasis lactea.*

§. 33.

Lac humor animalis, ex prima assimilatione emergens inter victum ex plantis petitum et animalem locum intermedium tenet. Lac emulsum et quieti commissum post aliquod temporis spatium in serum, coagulum et cremorem secedit. Serum liquidum aquosum est, saccharo lactis impraegnatum, coagulum s. caseus albuminis species; cremor autem pro maxima parte oleo animali constituitur pingui.

I. Inflammationes.

1. *Inflammatio mammarum puerperalis s. mastitis galactica, concomitante febri lactea.*

§. 34.

Quodsi actio vitalis lactis secretioni praefixa, nimis incitata normalem excedit modum, et turbae febricosae ad justo majus extenduntur temporis intervallum, ita ut et vitae animalis et vegetabilis laedantur functiones, tunc morbosum constituunt statum, quem ad sola ubera restrictum *inflammationem galacticam s. puerperalem*, ad reliquum autem organismum simul propagatum *febrim lacteam protractam* adpellamus. Plerumque tribus aut quatuor post partum diebus horror levis puerperam corripit ac lassitudinis sensus, sequitur calor aestuans cum cephalaea, faciei turgore, siti adaucta, respirationis levi difficultate, pulsibus acceleratis, plenis, duriusculis, quae omnia vespertinis exacerbantur horis et versus auroram cum acidulo remittunt sudore;

prima vel secunda febris die mammae surgescunt, tuberosas offerunt inaequalitates, tenduntur, dolent, et incalescunt; papillae eriguntur, et a minima contrectatione atroces excitantur dolores, unde lactandi impotentia, pervigilium et sympathicae glandularum subaxillarum affectiones. Circa quintum vel septimum diem sudoribus criticis subacidis, vel lochiorum lactescentium uberiore fluxu, vel saepe stillicidio lactis e mammillis spontaneo imminuitur febris; observantur non adeo raro miliaria alba, opaca, non semper pro criticis, sed potius symptomaticis saepe habenda.

Proxima hujus processus morbosi causa in specifica illa, quam organismus muliebris partu absoluto lactis secernendi gratia patitur, evolutione latet; quaecunque vero lactis secretionem intendunt, remotiores causae esse videntur; sicuti: victus nimis nutriens, spirituosorum abusus, status plethoricus, epidemia hyemalis, irritationes topicae per fascias, thoracula angustiora, suctionem violentam; vel neglectum lactationis officium, refrigerium admissum, animi pathemata, quae lactis secretionem impediunt, atque in mammis ejus accumulationem causant.

Posthuma, quae hinc inde sequuntur, mala constituunt *abscessus* et *indurationes* mammarum saepe pertinaces, in carcinoma tamen non pronae; funestiores tamen sunt *metastases lactae.* Rarius morte terminantur, nisi metastasi ad organon nobilius versa, vel nervoso aut putrido charactere stipata.

Therapia in morbo recenti et regulari methodum exigit antiphlogisticam; raro opus erit venaesectione, nisi forsan magnus morbi gradus, individuumque plethoricum praecipiat. Moderatae alvi evacuationes salinis provocatae, inter quae arcanum duplicatum eminenter laudatur, potus emollientes, temperantes, diaphoresin leviter moventes diaeta tenuis indicationi respondent. — Mammis tumentibus repletis et dolentibus

fomentis siccis, suctus tempestivo vel artificiali lactis extractione medere studemus. Si vero inflammationis altior exstiterit gradus, mamillae cataplasmatibus emollientibus fovendae. Quo tempore lochiorum simul diligens habeatur respectus.

2. *Morbi cum vitiata lactis secretione cohaerentes.*

§. 35.

Lactis secretio aliorum humorum secretorum ad instar duplici ratione, et quoad *quantum*, et *quale* a norma aberrare potest. Quantitate peccat lactis secretio atque excretio, dum vel limites excedit sibi praescriptos — nimiam scil. offerens liquidi lactei copiam — vel justo parciorem aut plane nullum, de quo sermo est, in lucem edit humorem; quo in casu retentionem a suppressione distinguunt. Qualitate eadem functio peccat, si lac secernitur nimis aquosum, tenue, vel crassum, pingue, vel pure, sanguine etc. infectum alioque modo mutatum. Quare sequentes nobis pertractandi sunt lactis secretionis a norma recessus:

a. Excedens lactis secretio s. polygalia.

§. 36.

Cujus vitii duplex ab auctoribus observatus est gradus, quatenus aut completum, aut incompletum:

α) Polygalia proprie sic dicta s. galactoplerosis; designat nimiam lactis copiam infantis necessitates superantem absque effusione spontanea. Uberum plenitudine, tensionis sensu, dolore modico, atque exhausti facili et cita restauratione manifestatur.

β) Galactorrhoea: tanta lactis secernitur copia, ut contineri nequeat. Continua agnoscitur profusione.

Victus largus materiis plasticis dives digestione simul et prima adsimilatione incitata, infans, quin ullus temporis respectu servetur ordo, mammis frequen-

tius admotus, lactatio justo diutius protracta; quidam debilitatis in mammis gradus, vasorum tum sanguiferorum, tum lactiferorum praeprimis laxitati conjunctus hujus vitii utplurimum sistunt causas.

Quae ex profusa lactis secretione scaturiunt mala, partim mater, partim ipse experitur infans. In nutrice idem vitium diutius persistens amblyopiam, baryecoiam, anaesthesiam, vel adauctam sensilitatem et irritabilitatem cum majori ad spasmos et hysteriam dispositione; ex altera vero parte febrim lentam, tabem ipsamque phthisim produxisse, experientia edocti scimus; id quod tum praeprimis valet, ubi ipso infante jam desuefacto lactis abundantia in mammis adhuc perdurat.

Infans justo largius nutritus digestionis et assimilationis turbas non experiri non potest, per vomitum diarrhoeam, flatulentiam, colicam, inquietudinem, pervigilium semet manifestantes.

In tractanda excedente lactis secretione victus tenuis, frugalis, ex vegetabilibus depromtus potus acidulus, aquosus et parcus, motus in aëre libero moderate institutus, certus lactationis ordo commendandus, aut infans sensim uberibus desuefaciendus; ubera, ne dependeant, fasciis collo affirmanda, aliae secretiones, cutis praeprimis, urinarum, et tractus intestinalis moderate promovendae, pediluvia tepida, infusa Salviae, Sambuci, haustusque salini, praeprimis cum Arcano duplicato in usum vocanda veniunt. Refrenato lactis profluvio spontaneo roborantia, chinacea, martialia cum elixirio vitrioli, fomentaque simul adstringentia ex infuso aquoso vel vinoso rosae rubrae, ligustri, salviae, tormentillae, Rathaniae etc. therapiam absolvunt.

b. Deficiens lactis secretio.

§. 37.

Deficit sufficiens pro infantulo rite nutriendo lactis quantitas, si aut nullum in mammis paratur, aut

quod jam paratum est, lac diversis ex causis retinetur.

In quo secretionis vitio rite aestimando totius organismi conditionis uberumque in specie ratio habeatur, oportet. — Imminuunt lactis secretionem media, moeror, morbi cachectici, nimium aliarum secretionum augmentum, turbae primarum viarum, refrigerium, inobedientia erga nutum naturae, hincque uberum porrectio infanti denegata; retinent autem illam variae organorum galactopoëticorum affectiones e. g. inflammatio vasorum secernentium, ductulorum deferentium, vel eorum concretio, scirrhosae indurationes, obliterationes, amplae cicatrices.

Gravis ex hocce vitio in infantem redundat noxa, nisi per aliam nutricem primum nullo alio supplendum ipsi subministretur vitae pabulum. Verum et mater non ab omni inde damno libera servatur, cum variae puerperii turbae, excedens prae aliis lochiorum fluxus, quin imo fatalis secretio vicaria, metastasis lactea dicta originem suam repetere possint.

Ex justa causarum lactis secretionem cohibentium consideratione suapte intelligitur, illarum amotionem primariam exhibere indicationem, reliqua remedia hoc in casu laudata adjuvantium tantum gerere opus.

c. *Alienata lactis secretio s. Galactocrasia.*

§. 38.

Alienata, de qua loquimur, secretione liquidum subministratur nimis spissum, mucosum, aquosum, salsum, amarum, sanguine aut pure remixtum; subinde singularem acrimoniam, gustu minus quam ventriculi sensu percipiendam et indolem contrahit quasi venenatam. — Vitiata hac secretione non tantum, qui inde nutritur, infans, sed et mater nonnumquam sat graves experitur noxas.

Quod sero abundat, lac infantem recens natum

nonnisi sufficienter nutrit, et in acidam fermentationem pronius acido in primis viis excludendo occasionem largitur. Contra lac spissius butyro et albumine gravius, infantis tenelli ventriculum molestat et omnia producít mala, quae a laesa digestione dependent. Sic quod singulari illa acrimonia notatur, nervos vehementissime adficit, dolores, vomitum, diarrhoeam, convulsiones provocat. Lac hac ratione constitutum, mammis reclusum has ipsas ad inflammationem usque irritare, vel et metastasim lacteam inducere valebit.

Ad causas qualitativas in lacte mutationes producentes referri possunt: nutrimenta larga, crassa, vel tenuia, aquosa, parca, salsa, albumine aut muco crudo, pinguedine scatentia, vita deses, status viscerum abdominalium polycholicus, spasmi vasorum secernentium, suppressa transpiratio cutanea, lochiorum fluxus diversae turbae, menstrua supervenientia, nova iterum conceptio, sudorum habitualium subpressio, herpetis, scabiei intempestiva sanatio; vita denique sensifera turbata in hanc lactis corruptionem tandem multum valet, quod gravioribus, quibus nutrix corripitur, animi affectibus confirmatur.

Inventa causa producente et invenietur therapia; illa latente, radicalis cura secure institui nequit.

3. *Vitia quaedam organica in lactantibus occurrentia.*

a) *Excoriatio papillae.*

§. 39.

Per vehementem infantis suctionem utplurimum, de quo agimus, inducitur malum. —

Papilla excoriata tumet, rubet doletque, et suctionis negotium aegre tantum admittit.

Infans rarius admovendus, papillaque spleniis levibus, decoctis emollientibus humectatis obtegenda.

b) Fissurae papillae ejusque vulnuscula.

§. 40.

Quodsi per vehementiorem et frequentiorem suctionem papillae irritantur inflammanturque, accedente acriori infantis saliva, praeprimis si idem aphthis laborat, finduntur et oxoriuntur vulnuscula sanguinolenta, admodum dolentia.

Methodus supra memorata et hic quadrat; existunt simul instrumenta, quorum ope infantes, intactis papillis, uberibus deplendis pares redduntur. Nuper *celebr. Stein,* quodsi suctio ob papillarum nimiam sensilitatem impossibilis esset, ne ubera repleta inflammentur, antliam suctoriam ingeniose constructam nobis tradidit, quibus omnibus frequens papillarum vulneratarum irritatio praecavetur moraque simul obtinetur pro sanandis papillis.

c) Atonia papillarum:

§. 41.

Seu laxitas ostiolorum, unde in lactantibus continuum lactis observatur stillicidium, cum galactorrhoea ex profusa lactis secretione orta non confundendum.

Papillarum excoriationes, exulcerationes, orificiorum destructiones atque relaxationes emollientium cataplasmatum abusu inductae morbi hujus rationem in se continent.

Quarum omnium sanatio, toni debiti per roborantia, tonica, adstringentia, lotionesque vinosas et spirituosas restitutio principale erit curae conamen.

d) Fistula papillarum.

§. 42.

Abnormis ad radicem papillae apertura cum ductulis lactiferis communicans, ex ulcusculis praegressis, nec rite sanatis originem petens scarificationibus levibus et cauta cauterisatione sananda est.

LITERATURA.

Hippocratis, Coi Lib. de morbis mulier. Gr. et Lat. Maur. Cordaeo Rhemo Interprete. Par. 1585. fol.

Spacchii (Israel), Gynaecior. Libr. Graec. Arab. Lat. Argent. 1597. fol.

Hoffmann. Dissertatio de naturali et praeternaturali mammarum constitutione. Altd. 1662.

Chapelle. Dissertatio de mammarum inflammatione. Lugd. 1670.

Crausius. De morbis mammarum. Jenae 1689.

Liebentanz. Diss. de valetudine lactantium. Leid. 1695.

Cangius. Diss. de gravidarum valetudine. Lips. 1696.

Laur. Heister de optima cancrum mammarum exstirpandi ratione. Altorf. 1720 in Halleri disp. chirurg. Tom. II. N. 54.

Mauriceau. Traité des maladies des femmes grosses etc. Par. 1668. 4. cum Tab. aen. deutsch: Strassb. 1732. 4.

Zeller. Diss. de mammis et lacte. Tubing. 1727.

G. J. Crelii (Prof.), Diss. de mammarum fabrica et lactis secret. Lips. 1734.

Morgagnius in advers. anal. I. IV. V. (de mammae fabr.)

Halleri comment. ad prael. Boërh. Tom. V. p. II. (phys. mamm.)

J. A. Boehmer de mammarum ductibus. Halae 1742.

Nannoni. Trattato delle malattie delle mamelle. Firenz. 1746. 4.

Schulz. De morbis mulierum etc. Hal. 1747.

Ant. Petit. Traité des maladies des femmes enceintes, des femmes en couche etc. publié par les c. c. Baigneux et Perrault. Par. an VII. 2 vol.

Magrath. Dissert. de gravidarum morbis. Vindob. 1763.

A. B. Koehlpin. De structura mammarum etc. Gryphisw. 1765. 4. m. Kupf.

Larrey. Diss. de praecipuis lactantium morbis. Avenion. 1765.

Kapp. Diss. de exstirpatione tumorum in mamma. Lips. 1768.

Mus. Diss. sistens rationalem methodum curandi et praecavandi quosdam mammarum muliebrium laesam lactationem concernentes morbos. Duisb. 1770.

J. Raulin. Traité des maladies de femmes en couche etc. Paris 1771.

Breithaupt. Nachricht zum Gebrauche des übrigen Apparates der Brust und Milchpumpe. Cassel 1773. *A. D. B. XXIII. pag.* 501.

J. G. Stegmann. Beschreibung einer Saug- und Druckpumpe. Cassel 1775. *Richters chirurg. Bibl. II. p.* 139.

G. D. Santorini. XVII. tab. de structura mammarum. Ed. Michaël. Girardi. Parmae 1775. 4. tab. G. I.

Joh. Astruc. Abhandl. von den Frauenzimmerkrankheiten. Aus dem Franz. m. Anmerk. v. Ch. Fr. Otto. Leipz. 1776. 8.

Clubbe. Treatise on the inflammation of the breasts. Lond. 1779.

A. d. M. Smetatschek. Diss. de morbis mammarum. Vien. 1781. 8.

Gruner. Diss. de statu sano et morboso mammarum in gravidis et puerperis. Jenae 1792. Stark's Archiv IV. Band, pag. 738.

Hart. Dissert. de morbis mammarum. Edinb. 1782.

Rust. De nonnullis mammarum et lactis vitiis in puerp. Goett. 1784.

Chambon de Montaux. Des maladies de la grossesse. Par. 1785.

Boy. Abrégé sur les maladies des femmes grosses etc. Par. 1788.

Müller. Handbuch der Frauenzimmerkrankheiten. Frankfurt 1788.

J. A. Schlegel. De statu sano et morbòso mammar. etc. Jenae 1792.

W. Rowlay. Abh. über die gefährlichen Zufälle an den Brüsten der Kindbetterinnen. Aus dem Engl. übersetzt. Breslau und Hirschberg. 1794.

Mayer. Dissert. de mammis mulieb. in statu sano et morb. consideratis. Erford. 1800.

Ath. Joannides. De mammarum Physiologia. Hal. 1801.

Vogt. Diss. de mammarum structura et morbis. Viteb. 1805.

J. G. Meinicke. Diss. mammarum structuram et morbos sistens. Viteb. 1805. 4.

J. A. Braun. Über Wuth und Wichtigkeit der weiblichen Brüste. Erf. 1805. 8. 2 *Bd. mit Kupf.*

J. G. Klees. Über die weiblichen Brüste. 3. *Aufl. Frankf. am Main* 1806. 8.

Boër. Über Säugung neugeborner Kinder und Behandlung der Brüste bei Kindbetterinnen. Wien 1808. *gr.* 8.

—— Natur. med. obstetric. Libr. VII. Viennae 1812. 8.

Joerg. Über das physiol. und pathol. Leben des Weibes. 1 *Th.* 1809.

—— *diätetische Beobachtungen für Schwangere.* 2. *Aufl. Leipz.* 1812.

—— *Handbuch der Krankheiten des menschlichen Weibes. Leipz.* 1809. 8.

G. W. Becker. Der weibl. Busen etc. 3. *Aufl. Pirna* 1812.

Fr. C. Nägele. Erfahrungen und Abhandlungen aus dem Gebiethe der Krankheiten des menschl. Geschlechts etc. Mannh. 1812. 8. *mit Kupf.*

Siebold. Journal für Geburtshülfe, Frauenzimmerkrankheiten. 5. *B.* 2. *St.* 1813.

Dictionnaire des sciences médicales. Vol. III.

Hey. Practical observations in surgery illustrated by cases. 3 Ed. Lond. 1814. 8.

Richter's med. und chirur. Bemerkungen. I. Th. Götting. 1795. *II. Th. Berlin* 1813. 8.

J. Ch. Stark. Archiv für Geburtshilfe, Frauenzimmer- und Kinder-Krankheiten. 6 *B. Jena.* 1787 — 1797.

Schenk. Obs. L. II. nr. 284, 286, de consensu mammae cum utero.

Ephem. nat. cur. dec. I. ann. II, IX, X, dec. II. ann. IV, V, (ubi plures abnormitates mammarum referuntur).

Reil. Archiv für die Physiologie. III. B.

Osiander. Denkwürdigkeiten. III. B. etc.

Richerand. Nosographie et Thérapie chirurg. Vol. IV. Edit. 5. Paris. 1821.

El. v. Siebold. Handbuch zur Erkenntniss und Heilung der Frauenzimmerkrankheiten. Berlin 1821.

C. G. Carus, Lehrbuch der Gynaekologie etc. Leipz. 1828.

Theses defendendae.

I.

Mineralogia chemia carere potest, imo debet.

II.

Inter mammas et uterum maximus intercedit consensus.

III.

Pulmonibus frigus, hepati calor maxime infestus.

IV.

Morbus organismus in organismo.

V.

Genesis morbosum duplex: primitiva et secundaria.

VI.

Largus morborum fons educatio perversa.

VII.

Non datur limes distinctus inter morbos contagiosos et contagio immunes.

VIII.

Periculum quod ex suppressione exanthematis emergit, in impedita contagii evolutione radicatur.

IX.

Ipecacuanha incipiente charactere adynamico remedium summum.

X.

In hydrope passivo quandoque sepositis per tempus medicaminibus diuresis optime procedit.

XI.

Mercurius non minus vitae humanae, quam morbo venereo inimicus.

XII.

Medicina sic dicta popularis rejicienda.

VIENNAE.

TYPIS VIDUAE ANTONII STRAUSS.

MDCCCXXXII.